



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XX. Quid sentiendum de reviviscentia peccatorum quoad culpam per subsequens peccatum de lege ordinariâ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

penæ æternæ, sed negationem condonationis ipsius culpæ; item negationem gratiæ, & amicitia divini; potest enim Deus hominem neque amare, neque odio habere, non per puram suspensionem actûs, hæc enim non datur in Deo, ut diximus in Log. tract. 5. d. 5. à num. 401. sed per actum positivum nolendo utrumque. His ita suppositis ad majorem intelligentiam eorum, quæ à nobis infra dicenda sunt: sit.

SECTIO XX.

Quid sentiendum de reviviscencia peccatorum quoad culpam per subsequens peccatum de lege ordinaria?

471. **D**IFFICULTAS sit: Utrum peccata per penitentiam semel remissa iterum redeant per subsequens peccatum de lege ordinaria, tam quoad culpam, quam quoad penam? Advertes, quæstionem, ut supra diximus; posse procedere de reditu peccatorum propriè, simpliciter, sive formaliter, ita ut redeant in se ipsis, aut de eorum reditu minus propriè, secundum quid, sive virtualiter, ita ut redeant, non in se ipsis, sed in aliquo effectu, in quo virtute dicantur contineri: de eorum reditu in primo sensu, tam quoad culpam, quam quoad penam secundum legem Dei ordinariam dicemus in præsentia: de eorum autem reditu in secundo sensu dicemus infra Sectione sequenti. Igitur:

472. **C**onclusio I. sit: Peccata per penitentiam semel remissa non redeunt propriè, simpliciter, sive formaliter quoad culpam per subsequens peccatum de potentia Dei ordinaria. Ita D. Thom. 3. part. quæst. 88. art. 1. 3. & 4. D. Bonav. dist. 22. art. 1. quæst. 1. & 2. Albert. dist. 22. art. 5. Alfridor. lib. 4. sum. tract. 6. cap. 6. quæst. 1. Richard. art. 1. quæst. 2. & 5. Scot. quæst. 1. Durand. quæst. 1. Palud. quæst. 1. Gabr. quæst. 1. Dionys. Carthus. quæst. 1. Argent. art. 1. Medin. Cod. de penit. tract. 1. quæst. 9. Petr. Sor. Lect. 7. de penit. Sor. in 4. dist. 61. quæst. 1. art. 1. quos citat, & sequitur P. Vass. 3. part. quæst. 88. art. 1. dub. unico. num. 54. P. Soar. tom. 4. in 3. part. d. 13. sect. 1. n. 4. Nugn. 3. part. quæst. 88. art. 1. Zerol. cap. 2. de penit. quæst. 21. vers. Dico 2. Molset. tract. 7. cap. 6. num. 56. Pezant. 3. part. q. 78. art. 1. d. unic. Bonac. q. 6. sect. 3. pun. 3. P. Henric. lib. 4. cap. 32. n. 3. P. Billu. tract. 6. cap. 6. q. 10. num. 161. P. Preposit. 3. part. quæst. 88. art. 1. dub. 1. num. 3. P. Tanner. tom. 4. d. 6. quæst. 5. dub. 3. n. 47. P. Egid. 3. prrt. d. 2. dub. 18. num. 140. P. Valent. tom. 4. d. 7. quæst. 5. punct. 3. P. Laym. lib. 5. tr. 6. cap. 4. num. 21. P. Lugo de penit. d. 10. num. 7. P. Hurt. d. 2. diff. 18. P. Soar. Lusit. tract. 1. de penit. d. 4. num. 448. P. Rhodez tom. 2. d. 1. quæst. 3. sect. 4. §. 1. P. Amicus tom. 8. d. 7. sect. 1. num. 6. P. Arriaga. tom. 8. d. 15. sect. 2. P. Compton. tom. 2. d. 89. sect. 1. num. 3. & alii.

473. **P**robatur autoritate Scripturæ: Primò Ezech. 18. 31. ibi: Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, &c. Omnium iniquitatum ejus, quæ operatus est, non recordabor. Recordaretur autem earum Deus, si per subsequens peccatum iterum redirent; ergo per hujusmodi verba videtur significari absoluta peccati remissio; esseque differen-

tiam inter hanc, & illam sententiam, in qua de operibus bonis dicitur ibid. vers. 24. Si autem averterit se iustus à justitia sua, &c. omnes justitias ejus, quas fecerat, non recordabuntur. Et cap. 33. 12. Impietas impii non nocet ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua: id est, non impedit bonorum operum præcedentium meritum.

Hic autem locus non videtur admodum efficax P. Arriag. cit. & meritò; siquidem eadem ferè verba è contrario dicuntur de operibus bonis, si postea subsequatur peccatum; & tamen merita præcedentia redeunt per subsequentem penitentiam, ut supra diximus, etiam si Deus dicat per Prophetam, se omnes justitias ejus, qui peccatum commiserit, non recordaturum; ergo sic etiam peccata præcedentia iterum redibunt per subsequens peccatum, licet Deus ibidem dicat, omnium iniquitatum ejus, quæ operatus est non recordaturum, poterit enim recordari, si iterum peccet, sicut bonorum operum recordatur, si iterum respiscat.

Neque obstat primò, quod P. Tanner. cit. dicat, esse valde diversum unum testimonium ab alio; siquidem in quo sit ea differentia non assignat, & reverà nulla sit, ut colligi poterit ex eadem Scriptura, dum eodem utitur verbo, tam de reditu bonorum, quam malorum operum: Non recordabuntur, Non recordabor. Neque enim obstat secundò, quod P. Soar. cit. & alii dicunt, diversissimè dimitti peccata, quam mortificantur merita, sicque licet hæc per penitentiam redeant, non idè illa per subsequens peccatum redire; siquidem illud licet in se sit verissimum, nihil tamen penitus juvat, ut loca Scripturæ cum ea universalitate intelligamus, cum in eis nihil dicatur de ea diversitate.

474. **P**robatur secundò ex eadem Scriptura ad Rom. 11. 29. ibi: Sine penitentia enim sunt dona, & vocatio Dei: Ex quo loco constare videtur, Deum non remittere iterum peccata jam dimissa; alioquin Deum peniteret ea remississe; ergo &c. Neque etiam hic locus videtur P. Arriag. cit. rem efficax probare; siquidem ibi solum dicitur, Deum non penitere de his, quæ concessit; quod est verissimum; Deum tamen non peniteret, quod peccatum remiserit; per hoc autem non ostenditur, ut ea remissio ita fuerit universalis, ut licet homo iterum peccaret, nollet Deus eum odio habere propter peccata præsentia, & præterita. Igitur facilius.

475. **P**robatur tertio autoritate Gelasii Papæ in cap. Divina, de Penitent. dist. 4. ibi: Divina Clementia dimissa peccata in ultionem ulterius venire non patitur: pateretur autè venire ulterius in ultionem, si iterum per subsequens peccatum redirent. Confirmatur primò ex Nahum. 1. 9. Non consurget duplex tribulatio: id est, ut vertunt Septuaginta, Deus non judicabit bis in id ipsum. Secundò ex D. Prosper. in Respon. 2. ad object. Gallor. ibi: Qui recedit à Christo, & alienatur à gratiâ sinit hanc vitam; qui nisi in perditionem vadit? Sed non in id, quod remissum est, recidit, nec pro originali damnabitur. Et D. Chrylost. hom. 40. ad Populum. Non est, inquit, sicut homo Deus; neque enim exprobrat præterita, & exprobraret autem, si iterum redirent. Tertio ex Trid. sess. 5. de peccato originali, §. Si quis, docet enim ibi, peccatum originale, (idem est de aliis peccatis,) tolli per Baptismum, ita ut nihil ejus remaneat; ergo &c.

476. **P**robatur quartò ex variis etiam locis Scripturæ, ubi passim asseritur, peccata, quæ in justificatione remittuntur, deinceps non permanere, sed potius Deum homines, quos justificat, ut dicitur psal. 50.

Psal. 50. 9. *Mundare, & super nivem dealbare.*
Item 1. Joan. 1. 7. *Emundare nos ab omni peccato.* Et
Exod. 34. 7. & 9. & Isai. 27. 9. *Peccata auferre.* Et
Psal. 50. 3. *Delere.* Et Michæ 7. 19. *Deponere*
iniquitates nostras, & projicere in profundum maris
iniquitates nostras. Et Joan. 1. 29. *Tollere.* Et
Isai. 1. 18. *Si fuerint peccata vestra, ut coccinum, qua-*
si nix dealbabitur; & si fuerint rubra quasi vernuc-
ulus, velut lana alba erunt; hoc autem nihil aliud est,
quàm ipsas etiam intimas peccatorum maculas
penitus tolli, auferri, deleri, mundari, & in profundum,
sive in æternum projici; ergo &c.

479. Probatur quoad rationibus: Prima, quia peccata per pœnitentiam non teguntur, aut incipiunt tantum non impetari; sed verè pereunt, & destruantur; quod autem semel destruitur, non potest redire absque nova reproductione; atqui reproductio peccati non potest à Deo fieri, sicut neque ejus prima productio; alioqui Deus diceretur causa per se peccati: neque etiam potest fieri ab homine, ut patet: imò licet illud reproduceret, jam non puniretur propter peccatum antiquum, sed propter novum, illa enim nova productio esset perinde, ac novum peccatum; ergo peccata semel remissa non redeunt per subsequens peccatum.

480. Secunda ratio est, quia ratio peccati habitualis, ut modò, & ex supra dictis suppono num. 454. consistit in actu præterito moraliter perseverante, quandiu à Deo non condonatur; ergo solum potest perseverare culpa, quandiu deest condonatio; sed quæstio procedit de peccato jam condonato quoad culpam; ergo non perseverat; ergo non potest reviviscere. Confirmatur, quia Deus jam decreverat peccata condonare, & de facto condonavit, ut supponimus; sed Deus non potest retractare suum decretum absolutum; hujusmodi autem decretum fuisse absolutum, satis indicant testimonia Scripturæ supra adducta; ergo &c.

481. Tertia ratio est, quia si peccata præterita semel remissa iterum redirent per subsequens peccatum, teneretur homo illa iterum confiteri; aut saltem de illis iterum dolere, quando accedit ad Sacramentum, ut sic tolleretur obicem, & removeret impedimentum ad effectum, sive ad gratiam Sacramenti suscipiendam; sed hoc est contra communem praxim Ecclesiæ; ergo &c.

482. Oppositum docent Gratian. cap. *Qui recedit, de Pœnit. dist. 4. & cap. Quomodo, de Consecrat. dist. 4. Hugo Vid. lib. 2, de Sacram. part. 14. cap. 9. Guilielm. Parisiens. tract. de Sacram. fol. 47. Magist. in 4. dist. 22. quatenus, adductis autoritatibus utriusque sententiæ, judicium relinquit Lectori. Ocham. in 4. quest. 9. ad 5. dub. neutram partem, ait, posse probari, negativam tamen esse magis consonam Sanctorum dictis. Præpositivus apud D. Bonavent. in 4. dist. 22. art. 1. quest. 1. solum affirmat redire peccata dimissa per quatuor genera peccatorum, nempe per odium in fratrem, per apostasiam à fide, per contemptum confessionis, & per dolorem de præterita pœnitentia, quæ in hoc Disticho comprehendebantur:*

Fratres odit, Apostata sit, spernitq; sateri;
Pœnituisse piget, pristina culpa redit.

Pro quibus.

483. Argues 1. Ex 3. Reg. 17. *Quid mihi, & tibi Vir Dei? Reversus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ.* Et Psal. 78. *Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.* Et Psal. 108. *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus, & peccatum*
Tom. 2.

matris ejus non deleatur. Ex quibus videtur constare, Deum, datâ occasione, recordari peccatorum, nempe ea puniendo, quæ jam erant remissa; ergo &c. Respondeo in his locis (aliisque similibus, si quæ sint, agi de peccatis non omninò remissis, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam, quatenus scilicet pro illis restat adhuc pœna aliqua persolvenda, & quæ, dum Deus differt punire, videtur eorum oblivisci, qui tandem peccatis de novo commissis provocatus, ea cum his graviter punit, etiam in filiis, si in patribus non videbantur sufficienter puniza.

Argues 2. Ex Matt. 18. 34. ubi in ingratum, & im-miseriordem servum, etiam post dimissum debitum, prioris debiti obligatio refunditur, dum dicitur: *Iratu8 Dominu8 ejus tradidit eum tortoribus, quoad usque redderet universum debitum.* Et additur: *Sic & Pater meus faciet vobis, si non remiseritis unusquisq; fratri suo de cordibus vestris;* ergo &c. Respondeo citatum locum variè explicari à Doctoribus, ut videri poterit apud P. Soar. P. Vassq. & alios, qui hanc parabolam intelligunt: Primò de pœnâ, non autem de culpâ. Secundo, Dominum non exegisse à servo debitum jam antea remissum, sed de novo contracto. Tertio, licet demus, Christum Dominum de illo locutum esse, id tamen ad rem per parabolam significatam non esse accommodandum; nam sensus, & scopus parabolæ, hic tantum est; nempe, Deum, tum ob alia peccata, tum præcipuè ob peccatum immisericordiæ, severe exacturum pœnas peccatis debitas: ac si Christus Dominus dixisset; si Rex ille exegit à servo suo priora debita, jam non debita, sed remissa, multò magis Deus exigit vera debita, si non remiseritis fratribus. Ita P. Soar. cit. num. 7. P. Tanner. cit. num. 51. & alii.

Argues 3. Ex Exech. 18. eodem modo dicit Dominus, se non recordaturum ampliùs bonorum operum, quæ quis cadens in peccatum antea egerat: *Si autem, inquit, averterit se justus à justitia sua ::::: omnes justitia ejus, quas fecerat, non recordabuntur:* sicut dicit, se non recordaturum peccatorum, pro quibus quis egit pœnitentiam: *Si impius, ait, egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis ::::: omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor;* sed bona opera per peccatum mortificata, iterum redeunt per pœnitentiam; ergo etiam peccata per pœnitentiam deleta, iterum redibunt per subsequens peccatum.

Respondeo, licet ex verbis Prophetæ non possimus clarè colligere diversitatem inter remissionem peccatorum, & mortificationem bonorum operum, prout jam diximus num. 474. satis tamen constare ex diversitate materiæ. Ratio igitur diversitatis est, quia in justificatione applicantur merita Christi, quibus ipse pro peccatis de condigno satisfecit, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam; hac verò satisfactione datâ, ita omnia peccata delentur, ac si nunquam fuissent commissa, ut ex pluribus locis Scripturæ colligitur, & etiam ratione probatur: siquidem qui pro debito dedit æquale, illud omninò extinxit, ita ut creditor aliquid ultra exigere non possit: at verò in bonis operibus aliter se res habet, utpotè quibus promissa est æterna vita, sicque licet peccatum subsequens habeat vim mortificandi talia opera, & impediendi hominem à consecutione vitæ æternæ, illo durante, cum tamen non impediatur futuram satisfactionem, quam homo pro illo potest offerre per pœnitentiam, etiam non impedit posse redire ad statum amicitie Dei, & hoc dato, quod fiat integra restitutio illorum operum,

& meritorum, quæ per ipsum peccatum erant mortificata. Uade oblivio peccati semel remissi debet esse æterna, quia pro illo acceptaverat Deus æqualem satisfactionem per merita Christi: at verò oblivio bonorum operum solum debet durare, quandiu durat peccatum illa mortificans; cum tamen hæc mortificatio non faciat, ne opera illa fuerint in acceptatione Dei digna, & deputata ad præmium æternum, non etiam potest impedire integram eorum restitutionem, sublato per pœnitentiam ipso peccato illam impediente.

487. Argues 4. Ex Sanctis Patribus. D. Aug. in Psalm. 108. ad illud. *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus, & refertur in cap. Si Judas dist. 4. de pœnit. ibi: Si Judas teneret illud, ad quod vocatus est, nullo modo ad eum, vel sua præterita, vel parentum iniquitas pertineret, sed quia non tenuit adoptionem in familia Dei, sed iniquitatem vetustigenis potius elegit, rediit iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, ut in eo etiam ipse puniretur, & peccatum matris ejus non deleteretur.* Et lib. 5. qq. super veteri Testam. q. 42. referturque in cap. Peccatum dist. 4. de pœnit. Peccatum, inquit, quod ex Adam contrahitur, temporaliter redditur, quia omnes propter hoc moriuntur, non autem in æternum eis, qui fuerant per gratiam regenerati, si in ea usque in finem permanserint: quasi dicat, si non permanserint, iterum redditur illis.

488. Et D. Ambros. apud Magist. dist. 22. *Donate invicem, ait, si alter in alterum peccat; alioqui Deus repetet dimissa.* Et D. Greg. lib. Dialog. cap. ult. referturque in cap. Constat. dist. 4. de pœnit. Constat, inquit, quia si quid in nos delinquitur ex corde non dimitimus, & illud rursus exigitur, quod nobis jam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Et D. Chrysostom. hom. 62. in Matth. 18. ad illud: *Tradidit eum tortoribus. Nam, inquit, quoniam beneficiis melior fieri non potuisti, reliquum est, ut pœnâ torquearis, & quamvis charismata hæc, & dona irrevocabilia sint, tamen tantum malignitas valuit, ut hanc quoque legem superaverit.* Et D. Aug. tom. 10. serm. 15. de Verbis Domini post medium. *Sic ego, ait, prior dimisi, dimitte vel postea, nam si non dimiseris, revocabo te, & quidquid tibi dimiseram replicabo tibi.* Idem habent Glossæ in Psalm. 37. ad illud: *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ.* Rabban. Theophylact. in Matth. 18. cit. Bedæ in Luc. II. ad illa verba. *Revertar in domum meam, referturque in cap. Revertar. dist. 4. de pœnit. & alii; ex quibus videtur constare, peccata etiam jam dimissa iterum redire per subsequens peccatum, & quoad culpam, & quoad pœnam.*

489. Respondeo (omissis aliis explicationibus, quæ videri possunt apud Doctores citatos, præsertim P. Vasq. 3. part. quest. 88. art. 1. dub. un. à num. 41.) adducta testimonia, sicut & alia, quæ adduci poterunt, intelligenda esse, non de reditu peccatorum simpliciter, & absolute; sed materialiter, & secundum quid, prout infra dicemus, quatenus scilicet peccata subsequenter continent, saltem genere, eandem malitiam cum præcedentibus, & hominem iisdem bonis privant, & eadem specie pœnas inducunt, sicutque graviora ob ingratitudinem peccantis post tam inligne acceptum beneficium in remissione peccatorum præcedentium. Ita P. Egid. P. Tanner. & alii cit.

490. Argues 5. In Sacra Scriptura sæpè dicitur, justorum peccata tegi, & à charitate operiri, ut 1. Petr. 4. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum;* ergo hæc postea per peccatum amissâ, iterum redeunt peccata præcedentia. Respondeo si hoc, & similia

testimonia aliquid probarent, probarent utique sententiam hæreticorum à Trid. damnatam, nempe, peccata in justificatione non deleri, sed tantum tegi. Undè dicendum est ejusmodi locutionibus metaphorice significari veram peccatorum remissionem, & abolitionem, quia aliter coram Deo tegi nequit.

Argues 6. Qui post peccatum remissum moritur, antequam pro pœnis temporalibus satisfecerit, in æternum propter illud puniatur in inferno; ergo saltem in tali casu redit peccatum jam remissum secundum obligationem pœnæ æternæ jam remissæ; ergo etiam rediit quoad culpam. Respondeo interim cum P. Egid. cit. num. 144. quidquid sit de antecedente, negando utrasque consequentiam; nam si talis pro eo peccato puniatur in æternum, mitissima quadam pœnâ puniatur.

SECTIO XXI.

Utrum peccata remissa redeant saltem quoad pœnam æternam de potentiâ Dei ordinariâ?

CONCLUSIO 2. Peccata semel dimissa non redeunt per subsequens peccatum quoad pœnam simpliciter, & absolute. Ita P. Soar. P. Vasq. P. Egid. P. Tanner. P. Lugo. P. Arriaga. & alii supra cit. Probatur ex supra dictis Conclusionibus præcedente, quia pœna respondet culpæ; sed culpa, quæ in peccato mortali includitur, tollitur omnino per remissionem; ergo etiam sic omnino tollitur reatus pœnæ; ergo sicut non redit culpa per subsequens peccatum, ita etiam non rediit pœna, quæ ad illam dicit ordinem, & illam supponit.

Objicies 1. cum Durand. in 4. dist. 22. quest. 1. qui id affirmat, salt. de pœnâ damni: Pœna damni consistit in carentia Beatitudinis; sed æqualis, imò eadem carentia Beatitudinis, debetur peccato mortali de novo commissio, atque debebatur antiquis jam remissis; ergo eadem pœna damni reviviscit per subsequens peccatum. Respondeo negando minorem; pœna enim damni debita peccato præsentem non est eadem, quæ debebatur peccatis jam remissis. Patet, quia aut esset eadem physice; aut moraliter: Non physice; siquidem privatio gloriæ debita peccatis præcedentibus est omnino extincta cum eorum remissione, & admissione ad gloriam; ergo sicut ipsa peccata non redeunt, neque etiam redit ipsa privatio in eis fundata, sed alia diversa fundata in ipso peccato de novo commissio. Non moraliter; siquidem privatio gloriæ respectu peccatorum præcedentium, illa respicit ut præcedentia: privatio verò respectu peccati præsentis, illud respicit ut præsens: hic autem diversus modus sufficit ad diversitatem in genere moris.

Objicies 2. Remisso peccato mortali, adhuc remanet reatus pœnæ temporalis; sed potest accedere, quod homo iterum peccet mortaliter, & in peccato decedat; hoc autem dato, prius peccatum, licet jam remissum quoad culpam, puniatur pœnâ æternâ, cum homo pro illo non satisfecerit ante mortem, ut supponimus, nec in Inferno remittatur, in quo jam nulla est remissio, sive redemptio; ergo in hoc eventu reviviscit reatus pœnæ æternæ debita primo peccato per subsequens peccatum.

Hoc